

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

**Vaticinia,|| Siue|| Prophetiæ|| Abbatis|| Ioachimi,|| &||  
Anselmi Episcopi|| Marsicani,||**

**Joachim <von Fiore>**

**Venetiis, 1589**

Vaticinivm XXV. [XXVII.]

[urn:nbn:de:bsz:31-248994](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-248994)

IN VATICINIA.

stimentis indutum, latiori insuper Pallio (pluuiale dicunt) adiecto, læua manu librum tenens, & dexteræ indice illum ante pectus tangens, & demonstrans. Hinc inde, à dextera quidem est Clauicymbalum, seu Monochordium, & Cythara: à sinistra vero Organum conspicitur. Inscriptionem, & literas numerales supra, & infra caput, interim prætermittam, illud asserens, hunc futurum Ponticem à me illis versibus ad Iochimi imaginē superius additis περιφραστικῶς indicatum ex Vaticinijs Beati Zodichi Palmerij, Iohannis Heremitæ, Iohannis Capistrani, & Magistri Reinhardi Ordinis Prædicatorum, quem Italum fore constanter dixerim: licet quidam contra sentiant. Hæc ad excitanda curiosorum ingenia dicta sunt, aliàs, si nostri labores grata excipientur manu, latius hæc, & maiori tum perspicuitate, tum facilitate tractaturi.

VATICINIVM XXV.

Silentio præterire decreueram hoc vaticinium, præsertim cum in eo nulla mutatio in imagine facta sit, nisi quòd in alijs diademate sultum, nos absque diademate incidi curauimus; quia ita illis imaginibus conuenire videbatur, quæ adhuc ex multis pauca in æde D. Marci Venetiarum visuntur, & in quodam etiam satis diligenter manuscripto cernebatur. Sed Magistri Reinhardi carmina nos permouerūt, vt & hic perspicacia ingenia excitaremus; illa ad hunc ferè modum se habent.

*Hinc Christi dignum vibrabit Aquila signum,*

*Aquila quæ fido iam caret prodita nido,*

*Omnia mutabit, & cernere læta inuabit,*

*Et tandem cæco lux erit tradita seculo.*

Carminibus concors est meus ille liber toties à me in medium adductus; est namque in eo Pontifex, loco tiaræ ingentem aquilam hianti rostro, expansis alis, capere gerēs,  
& am-



ADNOTATIONES

& ambabus manibus ante pectus duos paruos vrsinos carulos retinēs, est que à læua ipsius Pontificis Cydaris, & infra caput numerales literæ maiores P.C.P. Vaticinium verò hæc refert.

Grandis Aquila nigra surget,ocius expurgiscetur; tendet alas,& rostrū in pingue. Hæc aquila Romanum Imperium ortum ex Alamania, cuius insigne Aquila nigra est. Hæc Aquila segregabit argentum à plumbo,de Aquila hac satis diximus, quòd in iudicium Ecclesiasticorum virorum data sit. Morietur in I.

Iohannes Heremita ait. Ab Aquilone veniet,& intrabit sanctuarium,& Ecclesiam renouabit fratribus. Et Capistranus. Ceruleus,ac glaucus color niger fiet,mortalitas, ignes, cœlum turbatū. Nos hæc omnia de optimo quodam Principe Arctoi cœli dici conijcimus; modò impostorū fraudibus,& dolis haud iustè accepto: sed hæc suo tempore clarè Deus O. M. reuelabit. cætera enim silentio tegenda, & vsque ad tempus occultanda hominibus sunt; nam neque omnia,quæ scimus,aut videmus,expedit dicere.

VATICINIUM XXVIII.

**V**T clarè,& manifestè perspiciant homines vaticinia hæc ad futura: non autem ad præterita tempora respicere,adiungere volumus inscriptionem illius nostri vetusti exemplaris, cuius imago est Pontifex sacerdotalibus vestibus indutus, manibus ante pectus hinc inde pallio rectis, ad illius læuam descendit volans angelus ad eum litterum mundum deferens. Hæc sunt inscriptionis verba.

Exurgam propter miseriam inopum, & pauperum gemitū, & ponam salutem, & fiducialiter agam,qui deuorauerunt,& trepidauerunt,vbi timor non erat. Vnde dicitur, quòd in templo Domini erunt nummularij, & venditores spiritualium columbarum, populum humilem saluum faciam,